

& involuntario, sed ex voluntario, & non voluntario.

47 Sed dices: Respectu subiecti apti non datur medium inter privationem, & formam: equas enim necessario est videns, vel cæcus; sed actus humanus est subiectum aptum voluntarij, & involuntarij: ergo omnis actus humanus vel est voluntarius, vel involuntarius: ergo actus factus ex ignorantia concomitanti non solum est non voluntarius negative, sed etiam est involuntarius privative.

Respondetur concedendo maiorem, & distinguendo minorem: est subiectum aptum, supposita scientia, concedo minorem; non supposita, nego minorem. Actus enim procedens, ignorantia concomitanti, non est capax voluntarij, & involuntarij ex defectu scientiæ: & ita sicut lapis non est videns aut cæcus, sed non videns, quia non est subiectum capax visus; pariformiter actus ille non est voluntarius, aut involuntarius, sed non voluntarius.

48 Replicabis: Ergo non causat non voluntarium. Patet consequentia: nam hæc ignorantia non est causa actus; aliàs esset antecedens. Respondetur, quòd sicut ignorantia antecedens non est causa actus positivè, sed tantum negativè per modum reventis prohibens, & hac ratione est causa involuntarij; pariformiter ignorantia concomitans est causa non actus, quoad substantiam, sed quoad negationem voluntarij: nam actus, qui esset voluntarius, si esset scientiæ, non existeret scientiæ, est non ve-

luntarius propter ignorantiam concomitantem.

49 Arguitur tertio, & erit contra tertiam assertionem: Nam ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter; ergo etiam ignorantia consequens. Probat, consequentia: ideo ignorantia antecedens causat involuntarium simpliciter, quia removel scientiam, quæ si adesset, homo non eliceret id, quod elicit ex tali ignorantia; sed etiam ignorantia consequens removel scientiam, quæ si adesset, homo non eliceret id, quod elicit ex tali ignorantia, vt supponimus cum D. Thom. in præf. ergo ignorantia consequens causat involuntarium simpliciter.

Ad argumentum respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam, propter apertum discrimen inter vnam, & aliam ignorantiam: Nam licet utraq; ignorantia conveniat in hoc, quòd opus factum ex ea non fieret, si adesset scientia; ignorantia tamen antecedens non est volita, aut voluntaria formaliter, aut virtualiter, quia nullum supponit actum voluntatis, in quo sit volita tanquam in causa, quinimò homo operans ex ea adhibet sufficientem diligentiam ad excludendam ignorantiam, & ad impediendum, ne illud opus fiat. At operans cum ignorantia consequenti est volita, vel formaliter, vel virtualiter per actum voluntatis, quem supponit, neque adhibet sufficientem diligentiam ad ignorantiam pellendam, & propter hanc rationem opus factum ex ea est simpliciter voluntarium.



TRACTA:

TRACTATUS X. DE BONITATE ET MALITIA.



ostquam egimus cum D. Thoma quæst. 6. de voluntario, & involuntario; opus erat specialem tractatum instituere circa actus humanos in particulari, de quibus agit D. Thomas à quæst. 7. vsque ad 18. exclusive. Hunc autem tractatum, seu commentarium prædictarum quæstionum prætermittimus, quia plura circa ipsos diximus in alijs tractatibus, maxime tract. de Prædestinatione. Ingredientes ergo novum ordinem rerum, novumque genus entis, scilicet morale, agimus in hoc tractatu cum D. Thoma de Bonitate, & Malitia humanorum actuum. Et à nomine incipientes dicimus cum D. Thoma infra q. 58. art. 1. quod morale sumitur à more, vbi mos supponit pro consuetudine, diffiniturque à D. Iudoro lib. 5. Ethymol. cap. 3. per hoc quòd est: Longa consuetudo de moribus tantummodò tracta. Et quamvis mos secundum ethymologiam nominis magis propriè sumatur pro consuetudine habituali causata ex frequentatione actuum humanorum; moralitas tamen à more derivata & prout ad hunc tractatum conducit, magis propriè reperitur in actibus: nam in illis reperitur formaliter, & in alijs, vt in obiectis, & habitibus, tantum casualiter, quatenus sunt principia, & causæ illorum in diversis generibus. Ideoque principaliter agendum est in hoc tractatu de moralitate actuum humanorum; quamvis de alijs plura immiscebimus ob connexionem doctrinæ.

DISPUTATIO I.

De constitutivo Moralitatis.

Circa quæstionem An est moralitatis formalis nulla est quæstio, quia notissima est. Quocirca tantum erit sermo in hac prima disputatione de his, quæ ad eius essentiam explicandam spectant, Pro quibus sit.

DUBIUM I.

Quid requiritur ad moralitatem actus humani: Et in quo consistat?

Natura moralitatis adeo obstrusa est, vt inde oriatur non parva divisio inter Auctores. Nam quidam dicunt sufficere ad moralitatem, quòd actus sit voluntarius, & non requiri libertatem contingentiam. Pro qua referuntur Gabriel, Almainus, Oeham, Maior, Conrad. quem mox tum dicendi reputat probabilem Araxo. Moventur ad illum præcipuè propter amorem Dei, quem Christus eliquit in via.

¶ Alij illam cum libertate confundunt, existimantes moralitatem formaliter consistere in libertate. Ita Franciscus Felix cap. 1. diffic. 4. in præf. referens suum Scotum, & plures Patres Societatis. ¶ Alij docent esse præcisè denominationem extrinsecam desumptam à potentia, vel lege, aut alia forma extrinseca. Ita Suarez hic disp. 1. sect. 2. Vazquez, Salas, & alij. ¶ Alij tandem defendunt, consistere in quodam modo accidentali superaddito entitati, & libertati actus, ratione cuius dicit specialem habitudinem transcendentalem vel ad obiectum, vt subiectum regulis rationis, vel ad legem. Ita communiter Thomistæ.

§. I.

Duplex assertio circa libertatem requisitam ad moralitatem.

1. Dicendum est primò, libertatem omnino requiri ad moralitatem. Ita D. Thomas supra quæst. 1. art. 1. vbi docet illos tantum actus esse humanos, qui à ratione

deliberata procedunt; sed artic. 3. sequenti per actus *humanos* intelligit actus *morales*: ergo actus *morales* debent à ratione liberata procedere; ac proinde debent esse liberi. Idem docet in presenti artic. 9. vbi ait: *Si non procedit à ratione deliberativa: talis actus non est propriè loquendo, moralis.* Item, & clarius 2. dist. 24. quest. 3. art. 2. ait: *Ibi incipit genus moris, ubi primo dominium voluntatis inuenitur.*

Et probatur ratione: Nam actus, qui non est subijcibilis regulis *morum*, nequit esse *moralis*; sed actus omnino necessarius non est subijcibilis regulis *morum*: ergo non est *moralis*: ergo libertas requiritur ad *moralitatem*. Minor, in qua tantum est difficultas, suadetur: Nam tantum ille actus est subijcibilis regulis *morum*, qui est dirigibilis per legem; sed actus omnino necessarius non est dirigibilis per legem: ergo non est subijcibilis regulis *morum*. Minor probatur. Tum: quia frustra adhiberetur lex ei, quod est perse determinatum ad vnum, & aliter se habere non potest. Tum etiam: quia actus in tantum est dirigibilis per legem, in quantum lex imponit regulatum modum, determinando ipsam ad vnum, præcipiendo de, videlicet, actum, & prohibendo omissionem: sed nequit lex imponere huiusmodi modum determinatum, vbi agens est omnino determinatum ad vnum; vt ex se liquet: ergo actus omnino necessarius non est dirigibilis per legem.

2. Respondetis forsam, quod ratio nostra non tenet, quando agens est omnino determinatum ad ipsam regulam *moralitatis*, vt contingit in amore *beatifico*.

Sed hæc evasio non penetrat vires prædictæ rationis, & sic vnico verbo rejicitur: Nam bonitas *divina*, ad quam est determinatus amor *beatificus*, & quæ aliàs est prima regula *moralitatis*, non exercet minus regulæ *moralis* formaliter vt talis, nisi prout coniungitur cum lege illum præcipiente, & prohibente eius omissionem; sed amor *beatificus* non est dirigibilis per legem: ergo amor *beatificus* non terminatur ad bonitatem *divinam*, prout exercet minus regulæ *moralis*. Consequencia est legitima. Minor est certa: quia, vt supra diximus, frustratione esset lex respectu amoris *beatifici*, cum beatus sit omnino determinatus ad eum, & aliter se habere non possit. Et maior probatur: nam prima regula *moralitatis* est lex æterna, vt infra dicemus: ergo bonitas *divina* non exercet minus regulæ *moralis*, nisi coniungatur cum lege præcipiente actum amoris, & prohibente eius omissionem.

3. Hinc rejicitur tanquam *falsa* sententia *Lorca*, afferentis ad *moralitatem* actus sufficienter libertatem in potentia. Tum propter prædictam rationem: quia qui operatur sine actuali libertate, non subijcitur legi, aut supplicio: & ita qui incidit in amentiam non panitur à lege

etiam si retineat potentiam ex se liberam; neque laudatur, nisi is, qui cum posset transgredi, non est transgressus. Tum etiam: nam si libertas in potentia esset sufficiens ad *moralitatem*, motus subiti voluntatis essent boni, aut mali moraliter, meritorijque, aut demeritorij; siquidem sunt liberi in potentia; sed hoc est contra Concilium Trident. sess. 5. vbi decenter, huiusmodi non esse peccata proprie ergo.

4. Sed obijcit *Lorca*: Nam aliqui actus facti per ignorantiam, vt homicidium, & incestus, licet non imputentur operanti, retinent tamen aliquam malitiam, cum non sit licitum complacere in eis, neque cooperari ad illos, quando ignoranter, aut cum amentia fiunt: & ita peccaret, qui duos amentes inter se coniungeret extra matrimonium, cum tamen duo peccata coniungere liceat; huius nequit dari alia ratio, nisi quia ignorans, & amens habent libertatem in potentia: ergo libertas in potentia sufficit ad *moralitatem*.

Hæc obiectio est nullius momenti: Nam in homicidio, & incestu factis sine libertate actuali propterea non licet complacere, non quia retinent aliquam malitiam formalem, sed quia sunt obiectivè malefecus verò copula inter duo peccata. Et si hæc obiectio esset efficax, probaret esse licitum procurare, seu complacere in homicidio facto per brutum, quia non supponit libertatem in potentia.

5. Dicendum est *secundò*, ad *moralitatem* sufficere libertatem contradictionis, seu quoad exercitium. Ita D. Thomas pluries in locis, in quibus asserit sufficere prædictam libertatem ad meritum; sed *moralitas* est fundamentum meriti, vel demeriti, vt tradit infra quest. 21. art. 3. ergo ad *moralitatem* sufficit libertas contradictionis, seu quoad exercitium.

Et probatur ratione: Nam libertas quoad exercitium, seu contradictionis sufficiens est ad hoc, vt actus sit dirigibilis per legem: ergo factus est ad *moralitatem*. Consequencia est bona. Et antecedens probatur: nam eo ipso, quod actus sit liber quoad exercitium, potest præcipi, vel prohiberi: ergo est dirigibilis per legem. Antecedens probatur: Tum, quia, quod non est determinatum à natura, potest determinari per legem præceptivam, vel prohibitivam; sed actus liber quoad exercitium non est determinatus à natura: ergo potest præcipi, vel prohiberi. Tum etiam: nam est perfectè sub dominio agentis, iuxta dicta tractatu præcedenti disp. 2. à num. 13. ergo potest præcipi, seu prohiberi. Probatur consequentia: nam eo ipso, quod sit plenè sub dominio agentis, est capax, vt imputetur ei ad meritum, vel demeritum, quæ sunt passionibus *moralitatis*: ergo etiam potest præcipi, seu prohiberi.

S. II.

Alia assertio circa distinctionem moralitatis à libertate.

6. Dicendum est *tertio*, *moralitatem* actus distingui realiter ab eius entitate, & libertate. Hæc conclusio quoad vtranque partem deducitur ex D. Thoma. Tum art. 4. vbi distinguit bonitatem *moralis* actus ab eius entitate, & bonitate *physica*: ergo *moralitas* distinguitur ab entitate, & libertate. Tum art. 7. vbi asserit, species *moralis* tatis esse differentias accidentales actus, prout pertinet ad lineam *physicam*. Idem tradit supra quest. 1. art. 3. ad 3. & quest. 2. de *Malo* art. 5. ad 1. & art. 6. ad 3.

Quoad primam partem probatur ratione: Nam entitas actus, & eius *moralitas* habent specificativa formaliter diversa: ergo distinguuntur realiter. Antecedens probatur: nam entitas actus *humani* respicit pro specificativo obiectum secundum se, & prout præcendit à regulis *morum*; *moralitas* illius vel non sumitur ab obiecto, sed ab aliqua circumstantia, vt liquet in actibus ex sua specie indifferentibus; vel si sumitur ab obiecto, sumitur ab illo, vt subiecto regulis *morum*: ergo habent specificativa formaliter diversa. Explicatur hæc ratio, & simul præcaverit quædam evasio orta ex sinistra intelligentia: Nam actus *moralis* secundum suam entitatem *physicam*, & si dirigatur per cognitionem, non verò per legem ipse verò vt *moralis* dirigitur per cognitionem, & per legem: ergo respiciunt specificativa formaliter diversa. Patet consequentia: nam obiectum cognitum prout subijcitur legi, nequit non formaliter distingui in ratione obiecti à seipso, prout præcendit à prædicta subiectione.

7. Et confirmatur *primò*: Nam sepe contingit, quod idem actus numero absque vlla mutatione in sua entitate *physica* transeat de non esse *moralis* ad esse *moralis*, & de esse *moralis* ad non esse *moralis*, & de vna specie *moralis* ad aliam speciem *moralis*: ergo distinguuntur realiter entitas actus, & *moralitas* eius. Patet consequentia: nam separabilitas est signum distinctionis *realis*. Antecedens probatur quoad singulas partes nonnullis exemplis. Imprimis potest contingere, quod idem actus incipiat sine deliberatione, & continuetur cum ea; sed tunc in principio non est *moralis*, iuxta dicta §. præced. & postea est *moralis*: ergo potest transire de non esse *moralis* ad esse *moralis*. Deinde potest idem numero actus *charitatis* inchoatus in via continuari in patria, vt de Beata Virgine, & Angelis asserunt plures Theologi, vt alibi diximus; sed in via est *moralis*, & in patria non est *moralis* ex defectu libertatis: ergo idem

actus potest transire de esse *moralis* ad non esse *moralis*. Quod exemplum vrgeri potest, etiam si prædicta continuo negaretur: quia sufficit ad intentum, quod sit eisdem speciei: ergo amittit *moralitatem* retenta entitatis specie *physica*: ergo *moralitas* distinguitur realiter ab entitate actus. Tandem potest quis tempore licito comedere carnes, & perseverare in eadem actione & volitione tempore illicito: ergo idem actus numero potest transire de vna specie *moralis* in aliam.

Confirmatur *secundò*: Nam differentia, & species entitatis *physice* sunt diversa à speciebus & differentijs *moralitatis*: ergo *moralitas* est quid distinctum ab entitate *physica* actus. Antecedens probatur *primò*: nam idem actus secundum eandem entitatem *physicam* tam specie, quam numero potest habere plures species *moralitatis*, vt infra videbimus. *Secundò*: Nam differentie actus voluntatis in esse *physico* sunt simplex volitio, intentio, electio &c. differentia verò *moralitatis* non tam attenduntur penes prædictam diversitatem actuum, quam penes diversitatem virtutum, & virtutum, à quibus elicuntur: ergo differentia, & species entitatis *physica* sunt diversa à speciebus, & differentijs *moralitatis*.

8. Probatur quoad secundam partem, per quam præcedens magis roboratur. Nam libertas est proximum fundamentum *moralitatis*: si ergo *moralitas* distinguitur à libertate, & libertas ab entitate *physica* actus, à fortiori *moralitas* debet distingui ab eadem entitate. Hæc tamen assertio convincitur eisdem rationibus, quibus præcedens suadetur: vel quia libertas est quidam modus pertinet ad ordinem *physicum* vel quia habent diversa specificativa, cum libertas sumatur per ordinem ad principium indifferens, & *moralitas* per ordinem ad obiectum, vt subiectum regulis *morum*; & quia stante eadem libertate numero ex parte actus, vel potest variari *moralitas*, vt in volitione comedendi carnes tempore prohibito, & non prohibito; quæ est eadem saltem secundum suam speciem in ratione libertatis, & diversa in esse *moralis*: vel quia possunt multiplicari species *moralis*, stante eadem libertate *physica*: vel quia potest crescere *moralitas*, non crescente libertate, vt si ex duobus, cum æquali libertate vnus tribuat elemosynam vt decem, & alius vt viginti: vel quia potest dari actus liber saltem secundum suam speciem indifferens, & non *moralis*, vt infra dicemus. In quibus omnibus bene perceptis continentur rationes adductæ pro assertionem præcedenti.

Et confirmatur: Nam diversi sunt modi, aut species libertatis à speciebus *moralitatis*: siquidem modi, aut species libertatis sunt quoad specificationem, quoad exercitium, directè, aut indirectè, in se, in causa &c. E. contra spe-

Cies moralitatis primò sunt bonitas, & malitia, quæ subdividuntur in infinitas species, de quibus Div. Thomas tota 2.2. & quæ à Theologis non dicuntur species libertatis; ergo moralitas distinguitur à libertate.

§. III.

Duplex alia assertio resolutiva dubij.

1. Dicendum est quòd, moralitatem formalem in actibus voluntatis non consistere præcisè in denominatione; extrinsecam, neque esse ens rationis, sed addere aliquid intrinsecum, & in eis existens. Vltima pars legitime deducitur ex duabus precedentibus, ut ex se constat. Prior verò suadetur ratione: nam moralitas formalis, quæ est forma denominans actum humanum moralem; debet esse intrinsecam in aliquo subiecto, cui tribuat suam primariam & intrinsecam denominationem, ut inductive patet in alijs foris; sed moralitas formalis non est intrinsecè in aliquo concurrente ad actum moralem, scilicet nec in potentia, nec in obiecto, nec in ratione, aut lege, quasi actus ab aliquo ex illis denominetur extrinsecè moraliter, ergo non consistit in denominatione tantùm extrinsecam. Minor probatur sigillatim quòd omnes suas partes. Et primò quòd potentiam: Tum, quia moralitas formalis, seu actualis non recipitur in potentia, sed tantùm habitualis. Tum etiam quia potentia est causa efficiens actus; sed causa efficiens non aliter denominat effectum, nisi producendo in eo formam denominantem: qua ratione vti sumus tract. præced. disp. 2. à nam. 3. t. ad probandum; libertatem in actibus voluntatis non esse denominationem extrinsecam provenientem à voluntate, sed esse quandam perfectionem productam ab ea. Et liquet in alijs agentibus, quæ non aliter denominant suos effectus, nisi producendo in eis formas intrinsecas tribuentes eis proprias denominationes: Sol (v. g.) non denominat aerem calidum, aut lucidum per seipsum, sed producit calorem, & lucem in illo, quæ sunt formæ tribuentes prædictas denominationes.

Secundò quòd obiectum: Tum, quia in obiecto tantùm est moralitas motiva, & terminativa, non verò formalis: sicut in obiecto visus tantùm est visibilitas motiva, & terminativa, non verò actualis visio. Tum etiam; quia obiectum non denominat immediatè actum, quem terminat, sed media habitudo in ipso actus ad ipsum, ut inductive potest ostendi. Tum denique: nam non potest negari, quòd actus dicit respectum intrinsecum, sicut & tendentiam intrinsecam ad obiectum, ut morale: ergo talis respectus, vel tendentia est formaliter in ordine morali: ergo denominatio moralis in actu potius debet desumi à prædicto respectu, quàm ab obiecto.

Tertiò quoad rationem, vel legem. Tum, quia lex potius est radix moralitatis formalis, quàm subiectum. Tum etiam: quia moralitas formalis causatur ab agente morali, et hinc illi voluntaria, secus verò denominatio proveniens à lege. Tum deinde: quia actus ut moralis non dicitur immediatè respectum ad legem, sed mediante obiecto determinatè per legem: ergo si denominatio moralis in actu non provenit ab obiecto, multò minus debet provenire à lege. Tum denique, & urgentissimè denominatio, quàm habet actus moralis, quandoque est mala, & quandoque bona, sed denominatio proveniens à lege semper est bona: ergo moralitas formalis, seu actualis non est, neque provenit formaliter à lege.

2. Secunda pars fundatur: Nam ens rationis est, quod tantùm habet esse obiective in intellectu; sed moralitas humani actus verò existit à parte seel independenter à sitione intellectus: siquidem independenter ab eius sitione actus humanus est bonus, aut malus moraliter, estque conformis, aut difformis regulis morum ergo non est ens rationis. Ex quo manet probata assertio quoad tertiam partem.

3. Dicendum est quòd, moralitatem in actibus non esse quid absolutum, nec relationem prædicamentalem, sed quandam modum transcendentaliter respectivum realiter superadditum entitati, & libertati actus. Quoad primam partem fundatur: Nam actus essentialiter est respectivus: ergo etiam moralitas ei inherens. Patet consequentia: nam moralitas debet sequi conditionem actus, vel subiecti. Et confirmatur: Nam intelligibilis est moralitas in actu sine respectu ad potentiam, ad obiectum, & ad legem: sicut intelligibilis est moralitas obiectiva in obiecto sine respectu ad legem: ergo moralitas actus non consistit in aliquo omnibus modis absoluto.

4. Quoad secundam partem etiam fundatur: Nam in prædicamento relationis tantùm est oppositio relativa; sed intra ordinem moralitatis datur oppositio, vel contrarietas, vel privativa: ergo moralitas non consistit in relatione prædicamentali. Et confirmatur: Nam relatio prædicamentalis non suscipit magis, & minus; sed moralitas suscipit magis, & minus: ergo. Et confirmatur secundò: Nam relatio est suo conceptu explicite non dicit perfectionem, aut imperfectionem, ut hinc ostendimus tractato de Trinitate, sed moralitas est proprio suo conceptu dicit perfectionem, aut imperfectionem, cum eius species sint bonitas, & malitia, convenientia, & disconvenientia ad rationem: ergo. Et confirmatur tertio: Nam relatio prædicamentalis petit terminum realiter existentem; sed moralitas formalis non petit terminum realiter existentem; ut cum appetitur aliquid possibile, aut existens præcisè in apprehensione: ergo.

¶ Confirmatur quòd: Nam priusquam actus referatur respectu prædicamentali ad terminum, referatur ad solum respectu transcendentali, qui est ratio fundandi prædicamentalem, ut inductive constat: ergo moralitas potius consistit in respectu transcendentali, quàm in relatione prædicamentali.

5. Hinc probatur vltima pars assertionis: Nam moralitas actus est quid realiter distinctum, & superadditum entitati, & libertati actus; sed non est quid superadditum per modum entitatis omnino absolute, nec per modum actus ad actum: ergo est quidam modus realiter distinctus ab entitate, & libertate actus. Consequentia est legitima: quia nihil aliud potest excogitari. Maior constat ex dictis §. 2. & minor quoad primam partem ex dictis nam. 1. & 2. Quoad secundam verò partem probatur: Tum, quia vnus actus non est fieri alterius actus. Tum & præcipue: quia de actu superaddito actui fiet idem argumentum, ac de primo actu, arque ideo daretur processus in infinitum. Tum denique: nam moralitas concipitur ut quid efficiens actum, & denominans illum moralem; sed vnus actus non afficit intrinsecè, aut denominat alium moralem, ex quo colligitur primum actum non esse moralem: ergo.

§. IV.

Adversarium opinionum argumenta.

1. Adversus primam assertionem arguitur primò ex D. Thoma, qui sapè convertit actum moralem cum actu humano, & voluntario, sed actus potest esse voluntarius, quin sit liber, ut vidimus tract. præced. & potest etiam esse humanus sine libertate, ut de amore beatifico diximus tract. de Vltimo sine disp. 1. ergo non requiritur libertas ad moralitatem.

Et confirmatur: Nam de amore charitatis, quo Christus Deum diligebat, asserit D. Thomas in 3. dist. 18. quest. 1. art. 2. ad 2. quòd fuit meritorius: ergo moralis; sed in solutione ad 5. asserit, fuisse necessarium quoad exercitium: ergo.

Ad argumentum respondetur, quòd quando D. Thomas pro eodem accipit actum voluntarium, humanum, & moralem, loquitur de actu voluntario perfecto, & conveniente homini in statu viæ, quo tendit ad beatitudinem; & hic actus est liber. Ad confirmationem patet ex dictis tract. præced. disp. 2. num. 7.

2. Arguitur secundò: Nam plures sunt actus morales, qui sunt boni, vel mali moraliter, & non sunt liberi: ergo libertas non requiritur ad moralitatem. Antecedens probatur primò in amore beatifico, qui est moralis: tum, quia est conformis rectæ rationi: tum quia habet omnem

nam perfectionem, quam habet amor viget: tum quia contrariatur odio Dei; & tamen non est liber: ergo. Secundò: Nam actus, quo primò excitatur à Deo ad bonum, est bonus moraliter, quia est conformis regulis morum; & tamen est necessarius, cum præcedat nostram deliberationem: ergo. Tertiò: Nam actus sensualitatis circa illicita semper sunt mali moraliter: iuxta illud Apoll. ad Rom. 7. Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi menti meæ, & captivantem me in legem peccati, & liquet ex eo, quòd nequeunt esse in Christo; & tamen non semper sunt liberi: ergo.

Respondetur negando antecedens. Cuius nulla probatio subsistit. Non prima: Nam amor beatificus, prout terminatur ad Deum secundum se, non est bonus moraliter, prout fundat meritum, aut laudem; quan alicui reddimus loco prami, quæ sunt passionis propriæ, & strictè moralitatis; de qua loquitur in presenti, quamvis sit bonus, in quantum importat perfectionem consonam naturæ intellectuali; quæ longe est maior, quàm omnis perfectio reperia in amore viæ, quin oporteat, quòd habeat formaliter aliquas perfectiones hoc unumquodque, quas habet amor viæ. Nec ob hoc amor Dei non contrariatur odio illius: quia ad hoc sufficit entitas physica ipsius amoris, ratione cuius opponitur physice, licet non moraliter. Per quòd constat ad secundam instantiam, si verè actus quo primò excitatur à Deo, est omnino necessarius. Ad tertiam respondetur, quòd motus sensualitatis, ut præveniunt iudicium rationis, non sunt peccata formaliter, ut dicitur Trident. sess. 5. sed tantum sunt causa, & effectus peccati. Ratio verò, cur nequeant esse in Christo, est non sint formaliter peccata, duplex esse potest. Et quia supponunt inclinationem ad malum, quæ nequit compari cum perfectissima sanctitate Christi. Et quia nequeunt exerceri à Christo, nisi cum pleno dominio sive voluntatis orto ex perfectissima eius scientia; & hoc pacto essent formaliter peccata.

3. Adversus secundam assertionem nulla est opposita sententia, neque argumentum alicuius momenti. Et adversus tertiam arguitur primò ex D. Thoma, tum infra quest. 19. art. 1. ubi docet, quòd bonum, & malum sunt per se differentie actus voluntatis: nam bonum, & malum per se ad voluntatem pertinent, sicut verum, & falsum ad rationem, cuius actus per se distinguitur differentie veri, & falsi. Tum in 2. dist. 40. quest. 1. art. 1. ubi ait: Ipsi actus voluntatis, qui per se, & immediatè ad voluntatem pertinent, per se in genere moris sunt; unde simpliciter dividuntur interiores actus voluntatis per bonum, & malum, sicut per differentias essentielles: ergo iuxta D. Thomam moralitas non distinguitur ab entitate actus voluntatis.

Et confirmatur *primò*: Nam actus voluntatis secundum se per se procedere à ratione; sed nihil aliud requiritur, ut sit moralis: ergo actus voluntatis secundum suam substantiam est moralis. ¶ Confirmatur *secundò*: Nam volitio futurandi secundum se, odium Dei, & alia huiusmodi sunt formaliter mala, quia contrariantur legi non furandi &c. ergo moralitas horum actuum non distinguitur ab eorum entitate. ¶ Confirmatur *tertiò*: Nam moralitas in habitibus moralibus, scilicet in virtutibus, & vitijs, non distinguitur realiter ab eorum entitatibus: ergo nec in actibus illorum. Antecedens, in quo tantum potest esse difficultas, colligitur aperte ex D. Thoma infra quæst. 54. art. 3. ubi docet, prædictos habitus distingui essentialiter secundum bonum, & malum.

Ad argumentum respondetur, D. Thomam in utroque testimonio loqui de actibus voluntatis, prout formaliter subiectis regulis morum, ut aperte se explicat in hac quæstione art. 5. Vel potest dici, quod ly *perse* solum significat differentias moralitatis non convenire actui voluntatis ratione alterius. Vel tandem dic, sermonem esse de bono, & malo fundamentaliter, non formaliter, & complete.

Prima confirmatio laborat æquivocatione: quia non est idem, actum voluntatis procedere à cognitione, quod essentialiter competit omni actui voluntatis, ac procedere à ratione, prout hæc habet rationem legis in vi legis æternæ, aliàs omnis actus voluntatis esset moralis. ¶ Ad secundam confirmationem: Respondetur, volitionem furandi, & odium Dei solum opponi legi Dei, quatenus sunt materia, supra quam cadit ipsa lex. Unde inter ipsos actus secundum suam substantiam, & ipsam legem tantum datur oppositio materialis, seu radicalis & fundamentalis; nec datur oppositio formalis, ut quædam prædicti actus intelligantur formaliter liberi, & tendentes ad obiectum, ut formaliter dissonum legi; ad quod opus est novo modo realiter distingo tam à libertate, quam ab entitate ipsorum.

17 Ad tertiam respondetur, esse notam disparitatem inter actum, & habitum morale: nam habitus perse primò respicit actum, prout subiectum regulis morum; & propterea moralitas illius non debet distingui ab entitate physica. Actus verò non respicit perse primò obiectum ut subiectum regulis morum, sed perse primò respicit obiectum, prout est bonum bonitate naturæ. Et signum huius diversitatis inter actum, & habitum potest esse duplex. Primum est, quòd idem actus, saltem in specie physica, potest transire de bono in malum, secus verò idem habitus. Secundum est, quòd libertas formalis, quæ est fundamentum moralitatis, convenit formaliter actibus, & hæc distinguitur realiter ab eorum entitate, non verò habitibus, hæc

tamen solutio, quantum pertinet ad habitum, tantum intelligenda est de habitu morali, non verò de virtute Theologica. v. g. de charitate hæc enim perse primò respicit amorem Dei sui, pernaturalem secundum bonitatem physicam, cuius obiectum continet eminenter ordinem morale, & non dependet per se à regulis morum: & hac ratione charitas ita primario elicet actum suum, prout pertinet ad lineam physicam, quòd secundario absque ulla additione influat in moralitatem, quam habet in statu viæ.

18 Arguitur *secundò* (& procedit contra secundam partem eiusdem assertionis) Nam posita libertate, secluso quocunque alio, ponitur moralitas, & ea ablata auferitur: ergo signum est, moralitatem in libertate consistere. Antecedens probatur *primò*: Nam posita libertate, & secluso quocunque alio, actus est imputabilis ad laudem, vel vituperium, secus verò si auferatur libertas: ergo posita libertate, & secluso quocunque alio, ponitur moralitas, & ablata auferitur. *Secundò*: Nam defecto omnis actus liber est moralis, & omnis actus moralis est liber ergo idem quod prius. *Tertiò*: Nam eo ipso, quòd actus sit liber, est etiam regulabilis per legem, & que capax assuefactionis, & moris: ergo est moralis. *Quarto*: Nam actus liber immediate determinatur per bonitatem, & malitiam: ergo libertas non est distincta à moralitate.

Et confirmatur nonnullis testimonijs Div. Thomæ: Nam in 2. dist. 24. quæst. 3. art. 2. ait: *ly incipit genus moris, ubi primò dominium voluntatis invenitur*: ergo iam intelligitur actus moralis, dum intelligitur liber. Et in hac r. 2. sæpe convertit actum humanum cum actu liberis actus humanus est moralis: ergo.

Ad argumentum respondetur negando antecedens. Ad eius primam probationem dicendum est, quòd actus non est imputabilis ad poenam, vel præmiu, nisi prout formaliter est subiectus regulis morum, iuxta illud, *Vbi non est lex, nec prævaricatio*. Imputabilitas ad laudem, vel vituperium, seu ad poenam, vel præmiu est proprietas moralitatis convertibilis cum illa; ideoque actus, præcisè quæ est liber, non est moralis. Ad *secundam*: Respondetur permittendo antecedens, & negando consequentiam. Ideo enim omnis actus liber est moralis, quia nullus est actus, qui defecto non regeretur aliqua lege, vel perse, vel ratione circumstantiæ. Hinc tantum arguitur, quòd omnis actus liber præter modum libertatis habeat superadditum modum moralitatis. Diximus *permittendo antecedens*: Quia verè potest negari, vel quia datur actus liber, qui secundum suam speciem non est moralis, ut patet in actibus indifferentibus: vel quia saltem per accidens dabilis est actus in individuo, qui non sit moralis. Et hoc præcipue arguet in sententia Adversaria.

riorum, videlicet Scoti, qui cum eius discipulis concedit perse actus indifferentes in individuo. Ad *tertiam*: Respondetur concedendo antecedens, & negando consequentiam: Quia non est idem, actum esse regulabilem per legem, ac defecto esse morale: quia esse defecto morale importat actualem subiectionem ad legem, esse vero regulabilem per legem dicit meram capacitatem, ut à lege possit regulari; & hoc tantum habet actus liber in quantum liber. Idemque dicendum est de assuefactione, prout hæc generat habitum. Ad *quartam*: Respondetur distinguendo antecedens: *determinatur immediate* per modum subiecti, concedo antecedens; per modum generis, nego antecedens: & hoc ratio necesse, ut moralitas non distingueretur à libertate.

Ad confirmationem, & primum testimonium D. Thomæ: Respondetur, genus moris incipere, ubi dominium voluntatis invenitur: quia libertas, & dominium voluntatis est fundamentum moralitatis, non quia ipsa libertas formalissime sit ipsa moralitas. ¶ Ad secundum testimonium dicendum est, quòd ideo D. Thomas convertit actum liberum cum actu morali, quia perse loquendo omnis actus liber est moralis. Ex quo non arguitur, moralitatem esse indistinctam à libertate: tum quia rationalitas convertitur cum risibilitate; & hæc non identificatur cum illa. Tam & præcipue: quia actus liber secundum suam speciem non convertitur cum actu morali, ut liquet in actibus indifferentibus; & per accidens potest dari actus liber in individuo, quin sit moralis.

§. V.

Argumenta adversantia quartæ assertioni.

19 Adversus quartam assertionem arguitur: Nam in obiectis, & voluntate moralitas vel est ens rationis, vel denominatio extrinseca: ergo etiam in actibus. Consequentia est legitima: quia actus proportionatur obiectis.

Et confirmatur *primò*: Nam moralitas actus sumitur ab obiecto, vel circumstantijs, & lege; sed hæc omnia sunt extrinseca actui: ergo moralitas actus est denominatio extrinseca. ¶ Confirmatur *secundò*: Nam esse morale in alijs rebus, v. g. in valore monetarum, in dominio rerum, & pretio rerum venalium, vel est ens rationis, vel pura denominatio extrinseca: ergo etiam in actibus moralibus.

Ad argumentum respondetur negando antecedens, propter infra dicenda. Vel potest permitti antecedens; sed negari debet consequentia: Quia aliud est, quòd obiectum sit ens rationis, & aliud, quòd ordo, quem actus dicit ad illud, sit ens rationis; nam secundum non se-

quitur ex primò, ut liquet in Logica. ¶ Ad primam confirmationem: Respondetur, quòd moralitas immediata sumitur à respectu, quem dicit actus ad legem, & obiectum, qui respectus est realis, & intrinsecus actui. ¶ Ad *secundam* respondetur, esse notam disparitatem inter moralitatem, de qua in præfati, & moralitatem, de qua in confirmatione: nam moralitas, de qua in præfati, dependet ex respectu, quem actus dicit ad obiectum morale: & hic nequit esse extrinsecus, sed intrinsecus. At moralitas, quæ in alijs rebus invenitur, ut in exemplis adductis, tantum pendet ex mera voluntate legislatoris, quæ nihil intrinsecum addit prædictis rebus; necne ipsæ dicunt respectum ad voluntatem, sed in se sunt quid absolutum. ¶ Adversus vltimam assertionem nullo est argumentum, quod ex dictis non maneat enodatum.

Ex dictis in hoc dubio inferitur, divisionem actus in bonum, & malum esse absolute subiecti in accidentia, & eo modo quo tractatu præcedenti asseruimus, divisionem actus in *liberum, & necessarium* esse subiecti in accidentia: Eadem enim ratio militat utrobique. A licet verò discurrendum est de actu morali ut *moralis*, cuius resolutio pendet ex celebri quæstione circa constitutum peccati commissiois.

DUBIUM II.

Primum specificativum moralitatis actuum sit obiectum?

Plures sunt termini, quos moralitas actus respicit, de quibus merito potest dubitari, à quo sumat speciem, scilicet natura intellectus, voluntas, lex, seu ratio dirigenis, obiectum, finis, & circumstantia. Obiectum autem potest sumi dupliciter; vel prout comprehendit finem, & alias circumstantias, & distinguitur à natura, voluntate, & lege; vel prout non solum ab his distinguitur, sed etiam à fine, & circumstantijs. Sensus quæstionis procedit de obiecto iuxta vtranque acceptionem. ¶ At quia multoties contingit, quòd obiectum sit indifferens, vel secundum se bonum, & aliqua circumstantia prava, supponendum est, actum morale tunc non specificari ab obiecto. At circumstantia dans primam moralitatem transit in conditionem obiecti in *esse moris*; & tunc de ea erit eadem difficultas, ac de obiecto, quando per ordinem ad illud sumitur moralitas prima.

§. I.

Vnica assertio.

20 Dicendum est, terminum formaliter specificativum actus moralis ut *moralis* non esse naturam, rationem, volun-

tatem, aut legem, sed obiectum, si per ordinem ad illud sumitur moralitas, aut aliam circumstantiam, quando transit in conditionem obiecti. Hæc assertio perpetuo traditur à D. Thoma, quem sequuntur eius discipuli.

Et probatur ratione à priori. Nam omne respectivum specificatur ab eo, quod perse primò respicit; sed actus moralis vt *moralis* est quid respectivum, & perse primò respicit obiectum morale vt *moralis*, hoc est, vt subiectum regulis morum: ergo actus moralis vt *moralis* specificatur ab obiecto morali. Maior inductive constat in omnibus respectivis, & in ipso actu morali, secundum quòd pertinet ad lineam physicam. Minor quoad primam partem etiam liquet ex dictis num. 11. Quoad secundam vero partem suadet: Nam actus moralis est via & tendentia ad obiectum morale: ergo perse primò respicit obiectum morale vt *moralis*. Antecedens est certum. Et consequentia probatur: Tum, quia hac ratione actus in *esse* physico perse primò respicit obiectum in *esse* physico. Tum etiam: quia moralitas est modus & perfectio te tenens ex parte actus in *esse* physico: ergo sicut actus in *esse* physico est via & tendentia ad obiectum in *esse* physico, & hac ratione perse primò illud respicit, & ab eo specificatur; ita actus in *esse* morali est tendentia ad obiectum vt *moralis*, & debet perse primò illud respicere, ab eoque specificari.

21. Probatur secundò ratione à negatione aliorum, à quibus moralitas actus dependet: Nam actus moralis vt *moralis* dependet à natura rationali, à voluntate, à lege, & ab obiecto; sed non specificatur à natura, à voluntate, nec à lege: ergo specificatur ab obiecto. Minor probatur quoad primam partem: Tum, quia natura non est principium proximum, sed radicale actus moralis, sicut est principium radicale actus in *esse* physico: ergo actus nec in *esse* physico, nec in *esse* moris respicit perse primò naturam rationalem, sed mediante principio proximo; sed hac ratione nullus actus in *esse* physico specificatur à natura substantiali: ergo nec actus moralis vt *moralis*. Quæ probatio non solum virget de natura secundum se considerata, sed de ipsa prout connotat regulas morum, vt ex se liquet. Tum etiam: nam iuxta sententiam Adversariorum, ideo natura esset specificativum actus moralis, quia hic est conformis, aut disformis naturæ consideratæ secundum se; ex quo inferitur, quòd natura secundum se sit specificativum illius (hic est genuinus sensus Adversariorum) sed hæc ratio est nullius momenti, vel quia plura sunt convenientia, aut disconvenientia naturæ in *esse* physico, & non specificantur ab ea; vel quia natura secundum se est indifferens ad plures actus morales specie distinctos, quorum distinctio non prehabetur in natura secundum se: ergo actus moralis non specificatur à natura,

Deinde probatur eadem minor quoad secundam partem: Tum, quia ab eadem voluntate proveniunt actus specie distincti in genere moris: ergo distinctio eorum non sumitur à voluntate: ergo nec specificatio. Tum etiam: nam moralitas per prius reperitur in actibus, quàm in voluntate, moralitasque illius perse ordinatur ad moralitatem illorum, & non è converso: siquidem lex perse primò præcipit, aut prohibet actum in ordine ad obiectum, & ratione legis lata circa actum potentia continetur sub ea: ergo potius voluntas vt subiecta regulis morum specificatur ab actò morali, quàm actus à voluntate.

Denique probatur quoad ultimam partem: Tum, quia idem actus respicit leges specie distinctas, vt liquet in furto, quod respicit legem divinam, naturalem, & positivam: ergo non specificatur à lege. Patet consequentia: aliàs tot essent malitia specie distincta, quot sunt leges, quæ franguntur. Tum etiam: nam actus moralis non respicit legem immediate, sed mediante obiecto: ergo non specificatur à lege, sed ab obiecto. Antecedens probatur: nam eo modo actus moralis respicit legem, quo lex regular actum, sed non regular actum, nisi mediante obiecto, scilicet, in quantum proponit obiectum prosequendum, vel fugiendum: ergo actus moralis non respicit legem immediate, sed mediante obiecto. Tum denique: nam actus specie diversi possunt versari circa eandem legem, vt fur, pater, & relictio: ergo non specificatur à lege, Patet consequentia: quia specificativum, & distinctivum sunt idem.

§. II.

Corollaria præcedentis doctrina.

22. Ex dictis colligitur primò, bonitatem, aut malitiam, quam actus sumit ab obiecto, esse primam, & essentialem. Et ratio est: nam quoties actus sumit bonitatem, aut malitiam ab obiecto, specificatur ab eo in ordine morali, propter rationem traditam num. 20. sed bonitas, aut malitia actus desumpta à suo specificativo est prima, & essentialis, vt potè desumpta ab eo, quod perse primò respicit: ergo bonitas, aut malitia, quam actus desumit ab obiecto, est prima, & essentialis. Et confirmatur ex his, quæ habet actus in *esse* physico, cuius bonitas desumpta ab obiecto est prima, & essentialis.

23. Colligitur secundò, bonitatem, aut malitiam desumptam ab obiecto esse etiam specificam, & atomam. Et ratio est: nam bonitas, aut malitia moralis actus non solum prima, & essentialis, sed etiam specifica, & atomam sumitur ab eo, quod perse primò respicit in *esse* moris; sed actus vt *moralis* respicit perse primò obiectum,

dum

dum ab eo sumit bonitatem, aut malitiam: ergo bonitas, aut malitia desumpta ab obiecto est non solum essentialis, sed etiam specifica & atomam. Et confirmatur: Nam bonitas, aut malitia desumpta à circumstantiis non contrahit bonitatem, & malitiam desumptam ex obiecto, sicut differentia contrahit genus, sed est illi accidentalis: ergo bonitas, aut malitia desumpta ex obiecto est specifica & atomam. Antecedens, in quo tantum est difficultas, suadet: Tum, quia si circumstantia aliqua contraheret bonitatem, aut malitiam desumptam ex obiecto, sicut differentia contrahit genus, non opus esset penitenti in confessione explicare malitiam desumptam ex obiecto, quia non tenetur explicare genera peccatorum, sed species; hoc autem est falsum: ergo circumstantia non contrahit bonitatem, aut malitiam desumptam ex obiecto, sicut differentia contrahit genus, sed est illi accidentalis. Tum etiam: nam circumstantia in communi apprehensione est accidens; sed accidens nequit dare primam speciem essentialem, & atomam: ergo bonitas essentialis, & atomam desumitur ab obiecto.

24. Colligitur tertio, dum actus sumit bonitatem, aut malitiam ab obiecto, & sine bonitatem, aut malitiam desumptam ex obiecto, absolute & simpliciter esse essentialem, & specificam. Et ratio est: quia absolute & simpliciter respicit perse primò obiectum, & non finem; vt si quis daret elemosinam ad satisfaciendum pro peccatis, perse primò respicit elemosinam secundum se, & non satisfactionem: ergo absolute & simpliciter sumit suam primam moralitatem essentialem, & atomam ab obiecto, & non à fine. Et confirmatur: nam largitio elemosinæ propter satisfactionem habet bonitatem non solum penitentis, sed etiam misericordis: ergo ab illa virtute sumit bonitatem absolute specificam, & essentialem, à qua prædictus actus procedit intrinsicè & elicitivè, & non extrinsecè & imperativè, sed huiusmodi actus elicitivè procedit à virtute misericordis in ordine ad suum obiectum, & extrinsecè à penitentia; aliàs non haberet, aliam bonitatem, nisi eam, quam habet à penitentia: ergo bonitatem primam, & essentialem sumit absolute, & simpliciter ab obiecto, & non à fine.

25. Diximus absolute & simpliciter: Quia si fiat reduplicatio supra actum misericordis, prout imperatur ab actu penitentis, proculdubio actus misericordis specificatur ab obiecto penitentis, quod habet rationem finis operantis. Et ratio est: quia in actu vnius virtutis, reduplicativè vt imperato ab actu alterius virtutis, perse primò, & præcipue attenditur id, quod participat à virtute imperante: ergo, facta prædicta reduplicatio, debet specificari ab eo obiecto, à quo specificatur virtus imperans; sed hæc specificatur à fine operantis, tanquam à

proprio obiecto: ergo etiam actus imperatus vt imperatus. Quocirca si plures actus diversarum virtutum imperentur (v.g.) à charitate, & ordinentur ad obiectum illius, tanquam ad finem extrinsecum, vt imperati ab ea sunt eiusdem speciei in genere moris: quia in eis vt reduplicativè imperati, perse primò & præcipue attenditur bonitas charitatis, quæ in genere moris est eiusdem speciei in omnibus actibus imperatis ab ea, & bonitas desumpta à proprio obiecto, seu à fine operis in prædicta reduplicacione solum se habet de materiali.

26. Neque obest contra hoc, quòd actus misericordis, vt imperatus ab actu charitatis, habet rationem electionis, & obiectum immediate datum illius: habet rationem medij; sed electio vt electio specificatur à medio, vt tract. 8. ostensum est: ergo prædictus actus vt imperatus non specificatur à fine, neque omnes actus imperati ab eadem virtute, adhuc vt imperati, sunt eiusdem speciei, sicut prædictum saltem non videtur. Non (inquam) obest: Nam ex eo, quòd actus imperatus vt imperatus habet rationem electionis comparativè ad actum imperantem, eiusque obiectum proximum habet rationem medij, solum sequitur, quòd specificatur ab obiecto in genere physico, verò in genere morali. Quod fiet perspicuum in actu misericordis, vt imperato: ab actu charitatis; in quo præcipue attenditur participatio: quædam modalis charitatis, bonitasque specialis de eius linea, & bonitas propria misericordis, & desumpta ab obiecto se habet de materiali; & certum omnino est, quòd actus misericordis vt imperatus à charitate specificatur ab obiecto illius, quòd est finis. Vel potest dici, quòd actus misericordis, vt imperatus ab actu charitatis, specificatur ab obiecto illius, misericordis habente rationem medij, prout in eo recludit aliquid de linea charitatis; quod est idem, ac specificari in genere moris: ab obiecto charitatis, seu à fine. De quo iterum redibit sermo diserte, sequenti à num. 27. vsque ad 26.

§. III.

Opposita sententia.

27. Adversus nostram assertionem multiplex datur sententia. Prima docet, actum morale specificari à natura rationali. Pro quo refertur Vazquez disp. 73. cap. 9. Et arguitur: Nam moralitas est habitudo ad regulas morum: ergo specificatur ab eis; sed præcipua regula moralitatis est natura rationalis: ergo actus moralis specificatur ab ea. Et confirmatur: Nam actus est bonus, aut malus moraliter, in quantum est convenientis, aut disconvenientis naturæ rationali: ergo dicit respectum ad eam, ab eaque specificatur.

Ad

Ad argumentum respondetur distinguendo antecedens: *Est habitudo ad regulas morum* mediante habitudine ad obiectum, concedo antecedens non mediante, nego antecedens. Et cum actus debeat specificari ab eo, quod perse primò respicit, proculdubio actus moralis debet specificari ab obiecto morali, & non ab illa regula moralitatis. Ex alio capite nequit specificari à natura: quia non est regula moralitatis; & sic potest argumentum retorqueri contra Vazquium. ¶ Ad confirmationem respondetur primò, negando antecedens: Quia etiam actus in esse physico potest esse conveniens; aut disconveniens naturæ rationali. Et sic natura est indifferens ad convenientiam; aut disconvenientiam tam physicam, quam moralem actus; & ob hanc rationem nequit esse specificativum actus moralis, sicut nec specificativum illius in esse physico.

Respondetur secundò: dato quod actus sit bonus aut malus moraliter per hanc præcisè quod est conveniens aut disconveniens naturæ rationali, adhuc non sequi specificativum actus esse naturam, quia tantum est conveniens ei aut disconveniens inquantum respicit obiectum difformem, aut consonum rationi, aut legi. Unde non à natura, sed ab obiecto debet specificari.

28. Secunda sententia assignat pro specificativo moralitatis voluntatem ut subiectam regulis morum. Ita Zamel infra q. 71. art. 6. disp. 1. conc. 1. Et probatur: Nam actio specificatur à principio activo: ergo actio moralis specificatur à principio activo morali, quæ est voluntas, ut subiecta regulis morum.

Ad hoc argumentum respondetur, quod actio immanens, sive sumatur ut egressus à potentia, sive ut tendentia, & unio vitalis potentie cum obiecto debet ab hoc, & non à potentia specificari. Nam primo modo considerata non procedit à potentia, nisi ut determinata ab obiecto; & actio determinatæ speciei petit specificativum determinatum; quod non est potentia, sed obiectum. Posteriori modo accepta, vel est via, & tendentia ad obiectum, vel est finis potentie, quatenus ordo præcipuus illius est, ut vniatur cum suo obiecto, & considerata utroque modo, potentia potius specificatur ab actione, & hæc ab obiecto, quam actio à potentia.

29. Tertia sententia defendit, legem, seu dictamen rationis esse specificativum actus moralis. Ita Scotus in 1. dist. 17. quæst. 2. & aliqui eius discipuli. Et probatur primò: Nam iuxta D. Thomam totam esse actus moralis desumitur per ordinem ad legem, seu dictamen rationis, inquantum ei conformatur, vel non conformatur: ergo actus moralis specificatur à lege, seu dictamine rationis. ¶ Confirmatur primò: Nam peccatum diffinitur vnicè per hoc,

quod sit contra legem: ergo specificatur ab ea: ergo etiam omnis actus moralis. Patet consequentia: quia contrarium eadem est ratio. ¶ Confirmatur secundò: Nam stante eadem lege, & variato obiecto manet eadem species moralis, ut si quis furter pecunias, velles &c. & mutata lege, & non obiecto variatur species moralis actus; ut apparet in comedente carnes die prohibito, & non prohibito: ergo signum est, quod lex specificat actum moralem.

Ad hoc argumentum respondetur, quod D. Thomas, dum specificis verbis agit de specificativo actus moralis, semper recurrit ad obiectum, seu ad finem operis, quod coincidit cum illo. Et si aliquando ait, totum esse actus moralis desumi per ordinem ad legem, seu dictamen rationis; hoc ideo est, quia lex est radix totius moralitatis; sed actus non respicit illam immediatè, sed mediante obiecto, ut subiecto legi; & hac ratione potius debet specificari ab obiecto, quam à lege. ¶ Per quod constat ad primam confirmationem: Nam peccatum ideo potest diffiniri per esse contra legem, quia, nisi obiectum esset contra illam, nullum esset peccatum; iuxta illud apostoli, *Vbi non est lex, nec peccatio*: sed peccatum perse primò tendit ad obiectum, ut contrariatur legi, ideoque ab obiecto, & non à lege debet specificari. ¶ Ad secundam respondetur, quod si non variatur lex, nec obiectum variatur in esse moris; & ita qui furatur pecunias, velles &c. habet idem obiectum formale in genere moris, quamvis attingat plura obiecta diversa in esse physico. Et similiter si variatur lex, variatur obiectum formale in esse moris, licet sit idem in esse physico. Unde ex hoc capite ineptè arguitur, quod actus moralis specificatur à lege, & non ab obiecto.

30. Quarta sententia asserit, actum moralem, quoties ordinatur ad finem extrinsecum, ab eo specificari, & non ab obiecto. Ita Vazquez in præf. disp. 51. Et probatur primò multiplici testimonio Div. Thomæ: Nam supra quæst. 1. art. 3. docet, quod species actus moralis sumitur ex fine. Et in hac quæst. 18. art. 6. asserit, quod species humani actus formaliter consideratur secundum finem, materialiter autem secundum obiectum. Item in 2. dist. 36. quæst. 1. art. 5. ad 3. ait: *Sicut genus determinatur per speciem, ita etiam bonum in genere determinatur per bonitatem, quæ est ex fine, & ideo illud bonum, quod est ex fine, respondet bono, quod est in genere, sicut species generi.*

Et confirmatur: Nam 2. 2. quæst. 154. dividit species luxurie in adulterium, raptum, incestum, & sacrilegium, quarum malitia non sumitur ex obiecto, sed ex circumstantiis iniustitiæ, impietatis, & irreligionis. ¶ Et confirmatur secundò ex Arist. 5. Ethic. cap. 2. ubi ait, cum, qui furatur, ut machetur, esse magis machum

chum, quam furem: ergo finis est, qui dat speciem principalem.

Ad argumentum, & primum eius testimonium respondetur, D. Thomam loqui in eo de fine intrinseco, qui coincidit cum obiecto, ut ibi potest videri. ¶ Ad secundum testimonium: Respondetur, quod licet actus moralis specificetur ab obiecto, accipit tamen à fine extrinseco aliam speciem, quæ est si absolute accidentalis, est tamen actualior specie desumpta ab obiecto, & hæc formalizatur à specie desumpta ex fine; & propterea optime docet D. Thomas, quod species desumpta ex obiecto est materialis, & species desumpta ex fine est formalis. ¶ Ad tertium respondetur, quod dum D. Thomas bonitatem desumptam ex obiecto vocat *generisiam*, & determinabilem per bonitatem desumptam ex fine, non sumit genus propriè & rigorose pro genere logico, aut metaphysico, quod univèrsale est, & prædicatur essentialiter de speciebus sub illo contentis, & contrahitur per illas, quia vtraque est specifica, & atomia pertiens ad diversas virtutes. Sed sumit genus in lata acceptione, quatenus sicut genus rigorosum contrahitur per species; subiectum etiam contrahitur quodammodo, & determinatur per accidentia. Homo (v. g.) est determinabilis per differentiam albi, aut nigri, & hac ratione potest quodammodo dici *genus*; sed non tollit, quod qualibet ex illis differentis sit accidentaliter supponens differentiam essentialem. Ad hunc ergo modum comparat D. Thom. speciem desumptam ex obiecto generi, & speciem desumptam ex fine speciei.

Ad primam confirmationem desumptam ex eodem Angelico Præceptore: Respondetur, quod adulterium, & sacrilegium non sunt propriè species luxurie, quia intra lineam luxurie, non datur differentia essentialis, sed quælibet distinctio in eis reperta pertinet ad alia vitia extra genus luxurie. Et ita sacrilegium (v. gr.) habet duplicem speciem atomam, aliam intra lineam luxurie, quæ est eiusdem speciei infime cum simpliciter fornicatione, & alteram irreligionis. Ex quibus secunda est essentialis, & prima accidentalis, & se habens ut finis alterius, quatenus quis afficitur sic ad personam sacram, quod irreligionem non recuset, ut suam explicat libidine.

Ad secundam confirmationem: Respondetur, quod propterea ille, qui furatur, ut machetur, denominatur principaliter *machus*, & non *fur*, quia principalis movetur à machia, velut à fine, qui est principalis in movendo; & in voluntariis principaliter denominatio desumitur ab ethracia, & motione. Hoc tamen non tollit, quod minus principaliter se habeat in specificando: qui enim furatur, ut machetur, machia accidit tunc: & sic non debet specificare.

Paul. Theol. Salm. Tom. II.

Reliqua argumenta pro eadem sententia.

31. **A**rguitur secundò: Nam electio ut talis specificatur à fine in genere moris, ut supra diximus; sed omnis actus virtutis moralis, adhuc ut electus, est electio: ergo non specificatur à suo obiecto, sed à fine. Minor probatur: nam omnis virtus moralis est habitus electivus, ut docet Arist. 2. Ethic. cap. 7. Ergo omnis eius actus est electio.

Ad argumentum respondetur negando minorem. Quia actus virtutis moralis secundum se, & in ordine ad proprium obiectum est intentio, licet accidentaliter ordinetur ad finem, quo pacto induit etiam rationem electionis, ad quem finem potest non ordinari, & sistere in proprio obiecto tanquam in fine sibi connaturali, ut si quis vult sublevare miseriam non ordinando hunc actum ad alium finem extrinsecum, v. g. ad satisfaciendum. Virtus autem moralis dicitur habitus *electivus*; vel quia plures eius actus sunt electiones; vel quia quilibet actus moralis est quædam virtualis electio ex capite libertatis.

32. Arguitur tertio: Nam plures actus sunt morales, qui non habent bonitatem, & malitiam ex obiecto, sed ex fine operantis: ergo actus moralis specificatur à fine, & non ab obiecto. Antecedens probatur primò: Nam quando actus habet obiectum indifferens, & bonum finem, tunc solum habet bonitatem ex fine, & non ex obiecto. Similiter quando habet bonum obiectum, & malum finem, nullam bonitatem habet ex obiecto, sed primam moralitatem habet ex fine. Secundò: Nam actus fortitudinis nullam bonitatem habet ex obiecto secundum se, nisi prout ordinatur ad obiectum alterius virtutis tanquam ad finem, v. g. ad obiectum fidei, charitatis, vel alterius virtutis, ut tradit D. Thomas 2. 2. quæst. 124. art. 3. Similiter actus virginitalis, nisi ordinetur ad obiectum religionis ratione voti, non habet speciale bonitatem.

Et confirmatur primò: Nam actus, qui sunt circa verba, totam suam bonitatem, aut malitiam desumunt ex fine operantis: ergo specificantur à fine. Antecedens probatur: nam si quis proferat verba iniuriosa animo lucrandi proximum, talis actus habet bonitatem moralem. Si autem illa proferat animo auferendi ab illo honorem, habet malitiam moralem, & iuxta diversas intentiones habet diversas malitias, vel contumelias, vel detractionis, vel irrisionis: ergo primam, essentialem, & atomam bonitatem, aut malitiam desumunt ex fine operantis.

Confirmatur secundò: Nam D. Thomas in

Mum præf.

praf. art. 6. distinguens actum internum ab actu exteriori, docet, illum fumere speciem à fine, istum verò ab obiecto: ergo actus moralis specificatur à fine.

Et confirmatur *tertio*: Nam hic actus, *Volò bonè se vivere*, non determinando materiam; sed determinata specie; sed specificatio illius nequit desumi ab obiecto: ergo desumitur à fine operantis. Maior est certa; quia est actus singularis ingenere moris, & distinctus à cæteris actibus moralibus. Minor etiam liquet: quia obiectum illius non est determinatum, sed completur materiam omnium virtutum.

33. Ad argumentum respondetur negando antecedens. Ad cuius primam probationem dicendum est, quòd resolutio nostra procedit de actu, qui ab obiecto accipit bonitatem, aut malitiam, si verò ab eo non sumit bonitatem, aut malitiam, ut contingit, quando obiectum secundum se est iudifferens, aut quando habet obiectum secundum se bonum, & vitatur ex pravo fine, nil mirum, quòd non specificetur ab obiecto.

Ad secundam probationem respondetur: Prænotando, quòd duobus modis potest ad actum bonum prærequiri finis bonus, vel per modum rationis formalis, vel per modum conditionis, aut connotati extrinseci. Tunc requiritur per modum rationis formalis, quando actus nullam habet bonitatem præter eam, quæ desumitur ex fine; ut contingit, quando quis profequitur obiectum indifferens propter aliquam finem honestum. Tunc verò se habet præcise per modum conditionis, quando præter bonitatem desumptam à fine habet aliam bonitatem desumptam ab obiecto, sed eam non haberet, nisi connotaret bonum finem. Sufficientia autem moris, & omnimoda abstinentia à veneratoris sunt huiusmodi: quibus, nisi addatur bonus finis, nulla bonitas moralis conveniret; semel tamen quòd mors sustineatur propter fidem, & quis abstineatur à veneratoris ad vacuum Deo ex imperio religionis, prædicti actus habent specialem, & specialem bonitatem desumptam ex obiecto proprio, & intrinseco fortitudinis, & virginitatis. Et ratio huius est: quia prædicti actus habent specialem difficultatem intra propriam lineam, distinctam ab ea, quam habent in ordine ad prædictos fines, ut ex se liquet.

34. Ad primam confirmationem: Respondetur, quòd in peccatis, quæ consistunt in verbis, intentio loquentis pertinet ad rationem formalem illorum, & fines intenti sunt intrinseci. Et ratio est: quia verba non sunt verba formaliter, nisi in quantum sunt expressiva conceptuum ex intentione loquentis: Vnde ex variatione intentionis variatur finis huius intentionis, qui pertinet perse ad rationem obiecti. Nec ob hoc desunt his peccatis fines omnino extrinseci, ut

si quis illa committeret propter vanam gloriam; aut alios praves fines.

35. Ad secundam respondetur, sensum D. Thomæ solum esse, quòd obiectum, quod alias specificat actum exteriorem, habet rationem obiecti, & finis respectu interioris, & sub his rationibus specificat actum interiorem, cum actum exteriorem solum specificet sub ratione obiecti, & non sub ratione finis formaliter. Sed, occasione ab hac confirmatione desumpta, oportet explicare, quomodo comparentur inter se actus interior, & exterior. Pro quo notandum est, actum exteriorem dupliciter comparari ad actum interiorum: primum in intentione, & secundum in executione. Si actus exterior sumatur primo modo, actus interior specificatur ab eo, non ratione bonitatis, aut malitiae formalis desumptæ ab actu interiori, sed ratione bonitatis, aut malitiae obiectivæ, quam actus exterior habet ex se per ordinem ad legem. Et in hac acceptione actus exterior vltimus specificatur à materia, circa quam veratur, v. g. furum à re aliena, ut subrahenda; & restituitur ab ea, ut subrahenda proprio domino. Si verò actus exterior sumatur posteriori modo, hoc est in executione; hoc pacto non est obiectum, sed effectus actus interioris, à quo imperatur, & participat rationem voluntarij, & bonitatem, aut malitiam. Neque vlla reperitur inconveniens in eo, quòd actus interior, & exterior mutuo sibi communicent bonitatem: Tum, quia hoc fit secundum diversas rationes assignatas moralitatis obiectivæ, & formalis. Tum, quia actus interior accipit bonitatem, aut malitiam ab exteriori in genere causæ formalis obiectivæ; & actus exterior ingenere causæ efficientis. Et in hoc sensu accipiendus est D. Thomas, quoties agit de actu interiori comparative ad actum exteriorem.

36. Ad tertiam confirmationem, Quidam respondent negando maiorem, existimantes prædictum actum solum habere bonitatem genericam. Sed hunc modum dicendi communiter Theologi rejiciunt propter rationem in confirmatione assignatam. *Maxime* per quòd præcipuum fundamentum eorum retorquetur, quia potentia, habitus, & actus possunt respicere ex parte obiecti solum rationem genericam; & tamen per ordinem ad illam habent speciem atomam, v. g. intellectus accipit speciem atomam ab ente in communi: Metaphysica ab ente reali in communi: Et actus, quo intellectus attingit aliquam naturam abstractam à differentijs, vel specificis, vel individualibus. Et ratio huius est: quia prædicta ratio, licet sit communis in esse rei, est tamen specifica & atomam in esse obiecti. Aliunde potest in eo obiecto satis distingui ratio generica, quæ sit talis in esse obiecti, & distincta à seipsa, prout est specifica & atomam: nam illa ratio obiectiva generica, si consideretur vs contrahibilis, & attingibilis per diversos actus,

est

est generica tam in esse rei, quam in esse obiecti adhuc respectu actus, de quo est sermo. Si verò sumatur in ratione totius actualis & attingibilis per determinatum actum, est specifica, & atomam in esse obiecti.

Quocirca (milsis hoc, & alijs modis dicendi) Respondetur concedendo maiorem; & negando minorem. Ad cuius probationem dicendum est, quòd obiectum prædicti actus solum continet in confuso materiam omnium virtutum, sed comparative ad illum actum habet specialem, & atomam bonitatem obiectivam à nullo alio actu attingibilem.

37. Sed quæres, à qua virtute prædictus actus eliciatur? Ad quod, iuxta communio-rem sententiam, respondetur, ad prædictum actum non esse necessariam aliquam virtutem, sed sufficere nudam potentiam voluntatis. Et ratio desumitur ex doctrina Div. Thomæ infra quæst. 56. art. 6. & quæst. 94. art. 4. ubi docet, voluntatem habere naturalem inclinationem ad hoc, ut agat secundum rationem, sed habitus non est necessarius ad id, ad quod voluntas habet naturalem inclinationem completam; & hac ratione non indiget habitu ad appetendum bonum in communi: ergo ad eliciendum prædictum actum non requiritur aliqua virtus, sed sufficit nuda potentia voluntatis. Et confirmatur: Nam habitus non est necessarius, ubi non adest difficultas ad actum; sed voluntas non habet difficultatem ad hoc, ut velit operari iuxta rationem in communi, quia ad hoc nullam sentit contradictionem ex parte voluntatis, sed ad actus virtuosos cuiuslibet virtutis in particulari, ad quos non est totaliter inclinata: ergo.

38. Ex quo colliges *primò*, ad actum verantem circa aliquod genus virtutis, v. g. *Volò iusta operari in materia iustitie*, abstrahendo à legali, commutativa, & distributiva, non esse necessariam aliquam virtutem: quia voluntas ex se sufficienter est inclinata, ut velit iustum ad alterum in communi; cum homo sit animal politicum, & faciabile, & tantum habeat difficultatem in materia determinata, & cum peculiaribus circumstantijs, pro qua vincenda ponitur iustitia legalis, distributiva, & commutativa, & vltra has non datur alia iustitia pro illo obiecto iustitie in communi; quòd signum est, non requiri specialem virtutem ad actum verantem circa aliquod genus virtutis.

Colligitur *secundò*, ad actus praves prædicti actibus contrarios non concurrere aliquod vitium, neque generari ex frequentatione eorum. Et ratio est: quia nullus est habitus vitiosus, cui non opponatur aliquis habitus virtuosus, sicut nullus est actus vitiosus, cui non opponatur aliquis actus virtuosus, ut inductive potest ostendi, adhuc in actibus, de quibus est sermo; sed iuxta dicta non datur habitus virtutis ad actus virtuosos verantes circa aliquam

Paul. I. scol. Salm. Tom. II.

materiam in communi: ergo nec datur vitium aliquod determinatum ad actus vitiosos eius directe oppositos. Adde *primò*: Nam si naturalis inclinatio ad bonum obstat generationi virtutis, non est, cur naturalis repugnantia ad opus positum malum non obstat viti generationi. Adde *secundò*: Nam si daretur habitus vitiij versus circa malum morale in communi, etiam posset dari in intellectu habitus erroris circa verum practicum in communi; sed hoc non est admittendum, aliàs corrumperet synderesim, quæ prædictum verum in communi ut obiectum proprium respicit, ac proinde extingueret omnino lumen prædictum rationis; quòd negat D. Thom. q. 16. de Verit. art. 3. ergo.

Pro complemento huius rei: Rogabis, an idem dicendum sit de actu ex extendente ad bonum supernaturale? Respondetur negative. Nam actus se extendens ad bonum supernaturale, maxime si est efficax, est entitative supernaturalis; sed nuda potentia voluntatis non sufficit ad eliciendum actum supernaturalem: ergo requiritur omnino ad prædictum actum aliquid quod auxiliium, aut habitus supernaturalis. Itaque si prædictus actus eliciatur ab existente in gratia procedit ab habitu charitatis. Ad quòd ducimur duplici motivo. Primum est: quia charitas ita est virtus specialis respiciens Deum sub ratione *summi boni*, ut obiectum proprium, quòd etiam sit inclinatio connaturalis gratiæ; sed gratia, ut est quedam natura supernaturalis; habet inclinationem ad omne bonum supernaturale in communi, sicut anima rationalis ab bonum naturale in communi: ergo sicut voluntas est ratio attingendi bonum naturale in communi, ita charitas est ratio attingendi bonum supernaturale in communi. Secundum est: quia obiectum proprium charitatis est Deus sub ratione *summi boni*; continens eminenter omne bonum supernaturale; sed hac ratione charitas sub eadem ratione, quæ primario attingit Deum, secundario attingit creaturas: ergo etiam potest attingere bonum supernaturale in communi.

Si verò prædictus actus eliciatur ab existente in peccato lethali, procedit ab aliquo auxilio, vel ab habitu spei.

DUBIUM III.

An datur moralitas obiectiva: Et in quo consistat?

Non ibit satis explicata specificatio actus moralis, nisi explantur moralitas, quæ convenit obiectis. Pro qua explicanda desiderat hoc dubium, cuius decisio pendet ex duabus assertionibus.